





Ar.  
3

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.



Nr.	Praefides	
1.	Weidler	De homicidio.
2.	Salomo	- homicidio casuali.
3.	Crell	- delictis quae iure familiaritatis excusan- tur.
4.	Crell	- obii poena.
5.	Crell	Observatt. ad l. 3 §. de bonis eor. qui ante sentent. sibi mortem consciverunt.
6.	Crell	De delictis quibus honestum fuit initium
7.	Brunnemam	- delicto servi corrupti.
8.	Boehmer	- mulctis stuprorum.
9.	Bodinus	- poenis innocentium.
10.	Schmiedel	- Conatu.
11.	Schultz	- iure denunciatio criminalis.
12.	Schroeter	- Degradatione.
13.	Linck	- persecutione delinquentium.
14.	Falkner	- mulctis.
15.	Falkner	- circumstantiis.
16.	Broeckelman	- innocentia in causis criminalibus.
17.	Willenberg	- innocentia per torturam purgata.
18.	Wippermann	- salvo conductu.
19.	Strauss	- prescriptione delictorum.
20.	v. Sanden	- correis delictorum.
21.	Scharf	- exilio.
22.	Romanus	- ofensio.
23.	Romanus	- indicis.

24. Praesides

24. Zhetius

De jure hypothecae conventionalis et clau-  
sularia Sedinenfis in inscriptione.

25. Redeker

- Securitate reorum.

26. Pauli

- Cautionibus in criminalibus reci-  
pienda.

27. Neander

- publicis iudiciis.

28. Lippdorf

- appellationibus in causis criminalibus.

29. Streckel

- minorenni in causa criminali ad pra-  
standum iuramentum purgatorium  
sub poena confessi et convicti rite  
citato et non comparente in in-  
tegrum restituendo.

30. Beck

- solenni fractionis baculi ritu.

31. T. Thomaeus

An omnia delicta puniantur.

32. Hellmer

- jure defensionis.

33. Homel

- transact. super omittenda crim. accu-  
satione actori illicita.

34. Graven

- mitigat. poene in crim. Sodomis.

35. Stryck

- carcere ad custodiam.

36. Schoepf

- confessione qualificata.

S.

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,

DE  
CORREIS DE-  
LICTORUM,

Quam  
PRÆSIDE  
DEO T. O. MAXIMO,  
CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM  
ORDINIS IN ACADEMIA PATRIA,

*Pro consequendis summis in utroque Jure*

HONORIBUS,  
Placidæ Eruditorum disquisitioni

*publicè subjicit*  
JOHANNES FRIDERICUS von Sanden/  
Regiom. Boruffus.

IN AUDITORIO MAJORI

*Horis ante- & pomeridianis, ad diem 3. Julii,  
Ann. M. DC. XCVI.*

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

SERENISSIMO ATq. POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO  
TERTIO,  
MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
SACRI ROM. IMPER. PRINCIPI ELECTORI,  
ET ARCHI-CAMERARIO,  
IN PRUSSIA, MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MONTIUM,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDA-  
LORUM, ITEM IN SILESIA ET CROSNAE

DUCE,  
BURGGRABIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET  
CAMINI,  
COMITI AB HOHENZOLLERN, MARCAE,  
ET RAVENSBERGAE,  
DOMINO RAVENSTEINII, NEC NON TERRARUM  
LAUENBURGI ET BATOVII, &c. &c. &c.

*Principi Pio, Forti, Augusto,*  
Domino suo Clementissimo ac Nutritio  
Munificentissimo,

INAUGURALEM HANC DISSERTATIONEM

Ad declarandam devotissimam subjectionem & cultum,  
cum calidissimo Voto Summae Felicitatis, humillimè

D. D. D.

JOHANNES FRIDERICUS von Sanden.

# I. N. D. N. J. C.

## §. I.



Utm è re esse dicat Ulpianus *l. 1. pr. ff. de Reb. credit.* pauca de inscriptione ipsius Tituli referre, antequam ad verborum interpretationem deveniatur; & ego pauca prælibare è re mea esse puto, priusquam Corroborum ex delicto constitutionem explicem. Dicitur autem est reus veteri & tralatitio usu latini sermonis, à re i. e. lite; quia ejus res, hoc est, causa agitur. *Vossius in Etymologico Lingua Latina p. m. 433. jung. Matth. Martini Lexic. Philolog. b. v.* Et denotat tum Creditorem, tum Debitorem. Hinc *Cicero lib. 2. de Orat. Reos, appello, inquit, non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur. Et Gallus Aelius apud Festum: Reus est qui litem cum altero contestatam habet, seu is egit, seu cum eo actum est.* Ex quibus verbis apparet, reos antiquis eisdem fuisse, qui nunc litigantes appellantur. *Vid. Interpret. ad Tit. J. D. & C. de duobus reis constituendis,* qui varias & singulas rei significationes recensent, & explicant. Has enim omnes, utpote ad præsentem scopum non facientes, lubens omitto: Contentus dixisse, Rei vocabulo denotari plerumque debitorem *l. 21. §. 3. & passim tot. tit. ff. de Fidejuss. l. 41. §. 1. de Verb. Oblig.* & in latâ significatione pro omni debitore accipi, qui in judicio convenitur, tam ex contractu quàm delicto, sæpe quoque pro eò qui alicujus delicti

arguitur, ut idem sit reus, quod culpæ vel crimini obnoxius: sic qui in Imperatorem commisit crimen, dicitur reus læsæ Majestatis à reatu scilicet criminis, uti notat *Cass. Manz. in Commentar. ad Instit. ad rubric. Tit. de duobus reis stipulandi & promitt.* Et hæc significatio est hujus loci, quæ quoque sæpissimè in libris nostris occurrit, & dicitur quis reus fieri, qui alicujus criminis postulatus est. *L. 5. §. 2. de Public. Judic.* sic quoque reum facere pro accusare ponitur, *l. 2. §. 7. ff. de Adult.* De delictis verbum non addo, cum delicti nomine veniat omne factum illicitum, quod lege humana coërcetur.

§. II.

Ex his jam dictis, qui sint duo rei, vel ut inscriptio se habet, Correi, facilè colligi potest; scilicet, eos esse ejusdem obligationis debitores: & dicuntur Correi, quasi qui simul rei sunt facti ad eandem causam. Eodem quoque sensu *Bart. l. fin. C. de duobus reis.* Correat dicuntur, qui obligantur eadem causâ & eodem contractu. Vernaculo idiomate correi appellantur, *die miteinander an einer Sachen schuldig seyn.* *Συμφύγοντες* Græci duos reos dicunt, quemadmodum reos *Φεύγοντες* fugientes, notante ita *Vultejo lib. 1. c. 6. Tract. de Judic. & Job. Frider. Bökelmanno in Exercitat. de Action. Cap. 2. n. 4.* Imperatoribus quoque nostris sæpe rei fugientes dicuntur. *L. 13. §. 2. C. de Jud. L. 5. C. de Recept. arbitr. L. 2. pr. & §. 4. C. de Jurejurando propter calumn. dando.* Aliàs quoque correi dicuntur complices à plica. i. e. complicati, *die gleichsam an einander gefalten seyn / homines ejusdem gre-*

gregis, die etwas miteinander gestiftet haben. Latinius  
gregales socii. Conspores. Cic. in Epist. ad Attic.

§. III.

Præmissâ hac qualicunque vocis correi interpreta-  
tione, quæ Ulpianum purissimum nitidissimumque auto-  
rem habet in l. 3. §. 3. ff. de Liber. legata. ad duorum reorum  
constitutionem descendo. Eosque non tantum verbis  
stipulationis, sed & cæteris contractibus, & quasi con-  
tractibus, fieri posse nullus dubito. Nec quicquam memo-  
ret assertum Accursii atq; Martini Sulmanni, qui negant duos  
reos constitui posse nisi stipulatio accesserit; atque statuunt,  
si aliquando nascatur obligatio solidi, id magis provenire ra-  
tione obligationis verborum, quæ accessit obligationi re-  
rum, quàm alia ratione. Nam, quò minus à partibus di-  
ctorum Interpretum stem, facit Responsum Papiniani, Viri  
acutissimi & excelsi ingenii in l. 9. Eandem pr. ff. de duobus  
reis constit. cujus attenta lectio eos potis est refellere, uti  
communiter colligunt Interpretes, ad d. l. 9. & prolixè pro-  
bat Johannes Ronchegallus Gioldus Ferrariensis in Tractatu  
de duobus reis constituendis: In quò eruditè & summo studio  
multæ huc pertinentes quæstiones explicatæ sunt. Ac rei  
debendi secundum Wesenbec. in paratill b. t. n. 2. dicuntur  
illi, qui ejusdem debiti se reos unâ promissione constituunt,  
& Modestinus l. 1. ff. de duobus reis constit. inquit, eum qui sti-  
pulatur, reum stipulandi, qui promittit, reum promittendi ha-  
beri. Alias reorum debendi, quæ variæ apud Interpretes oc-  
currunt descriptiones, utpote huc non facientes, non tango,  
cum imprimis alio jam tempore has enucleaverim.

A 3

§. IV.

§. IV.

Hæc necessariò supponenda esse, ratus sum, antequam ad explicationem Correorum ex delicto transgrederer, quò servatò ordine Imperatoris, qui est *in §. ult. J. de Obligat.* plenius rem exponam. Correos verò debendi & ex delicto fieri posse, patet *ex l. 9. §. 1. ff. Quod met. c. gest. l. 21. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. §. 1. ff. Quod vi aut clam.* Quibus textibus evincitur, Populū, Civitatem ita quoq; obligari tam ex delictò quàm ex contractu. *Wissenbach. Disp. XII. ad Tit. π. Quod. cujusq. univers. nomine §. c. jung. Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 21. n. 2.* Sic, si familia Album Pratoris corruerit, vel tota furtum fecerit, tota tenetur omnesque fiunt rei, *l. 9. ff. de Jurisd. §. 1. π. Si familia furtū fecisse dicatur.* Eadē quoq; fuit Senatusconsulti Syllaniani & Claudiani sententia, ne scil. per vim occiso testatore Tabulæ testamenti aperiantur, antequam de familia quæstio habita, & de nocentibus sumptū supplicium. *t. t. π. de Senatuscons. Syllaniano & Claudiano.*

§. V.

Jam Instituti nostri ratio exigere videtur correorum ex delicto aliquam descriptionem; quos ita commodè describendos esse existimo: quod sint qui idem delictū simul committendo se tacitè ad pœnam luendam, legibus statutam, obligarunt. Ad hoc enim ut Correi debendi ex delictò constituantur, necessarium esse videtur, Correos esse obligatos, ex eodem non ex diversis delictis. *L. Qui servū 20. pr. ff. de Interrogat. in jure faciend.* quam eleganter explicat *Cujacius in Paulo lib. 2. quest.* Quoniam ab identitate pendet reorum  
con-

constitutio. Unde pro regula tradunt DD. quod disparitas  
& diversitas rei vitiet & impediatur duorum reorum constitu-  
tionem. *Schneidewinus pr. J. de duobus reis stipul. & promitt.*  
*& Brunnemannus ad l. 15. ff. eod.* Reliqua descriptionis no-  
stræ verba, tacitam ubi inesse diximus obligationem, minus  
dubii habent: cum ille qui delinquit, censeatur quoque con-  
sentire in pœnam, nec rationem deficere puto; obligatio  
namque, quæ oritur ex delicto, oritur ex voluntate delin-  
quentium, *l. 34. D. de Jure Fisci.* Et simili ratione delicta ab  
*Aristotele s. Ethic. c. 2.* dicuntur *συνάδύματα ἀκούσια* con-  
tractus involuntarii, & reddit rationem *Michael Ephesius in*  
*d. l. scribens pag. m. 266.* Sed quærendum quo modo com-  
merciorum hæc dicenda sint. Fortasse ob eam causam, quod,  
qui furatus est, pro furto interdum alia quædam restituit,  
interdum aut flagellatur aut manibus vel oculis privatur,  
qua in re esse & datio & acceptio quodammodo videtur, in  
quibus commercandi contrahendique ratio consistit. Nam,  
cum furripuerit pecunias fur, aut quippiam aliud, pro illis,  
solvit pœnas, &c. idem aliam quoque affert rationem *cap. 11*  
*IV. p. m. 273. ad. Struw. in Syntagm. Jur. Civil. Exercit.*  
*XLVII. ad Libr. π. 47. Tit. 1. th. 3.* Ita in *l. 1. Papinianus, &*  
*l. 2. Marcianus ff. de Legibus* verba Demosthenis *ἐπαινό-*  
*σημα τῶν ἐκούσιων καὶ ἀκούσιων ἀπαρημάτων* verterunt delicto-  
rum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio-  
nem, &c. *Addatur Godofredus ad d. l. Gæddeus ad L. 7.*  
*V. S. & Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 21.* A Jctis quoque  
nostris eodem modo delicta ut conventiones dicuntur con-  
trahi, *l. 15. l. 31. §. ult. ff. de Donat. l. 2. ff. de Condict. ob tur-*  
*pem caus. l. 52. ff. de O. & A.*

§. VI.

§. VI.

Si ergo plures deliquerunt, omnes tenentur ad pœnam, nec unius solutio reliquos liberat. *L. 5. §. 3. ff. Ne quis eum qui in jus vocat. vi exim.* Cujus rei rationem affert duplicem Brunnem. in paratitl. *quest. 3. §. 4. d. 1.* Prior est, odium violentiæ à pluribus commissæ, posterior, quia omnes deliquerunt. Si plures album corruerint, omnes tenentur *l. 7. cum seq. ff. de Jurisd.* Si plures rem aliquam furati sunt, actio furti adversus singulos datur in solidum. *L. 21. §. pen. ff. de Furt. l. 1. C. de Condict. furtiva.* Hic applicari quoque potest, quod *Julianus JCeus in l. 51. ff. fin. ad L. Aquil. scribit. Cum plures trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur: quamvis subtili ratione dici possit neminem eorum teneri; quia neminem verum sit, eam sustulisse.* Et si plures servum percusserint, ut is inde mortuus sit, omnes de occiso tenentur, nisi constet, cujus ictu perierit, *l. 11. §. 2. l. 51. §. 1. ad Leg. Aquil.* Unusquisque enim hic solvit pœnam delicti, ubi quod alius jam præstitit alium non relevat, *d. l. 11. §. 7.* & cum tot sint pœnæ quot delicta perpetrata singuli suam tenentur solvere pœnam. Aliud autem est dicendum, si sit actio rei persecutoria, vel in solidum, vel ex parte rei. *L. 1. §. 4. ff. de eo per quem fact. erit.* Secus ac supra dictum de illis, qui in jus vocatum vi exim. quoniam ibi pœna, hic nihil, quam interesse vertitur.

§. VII.

Porro si duo vel plures adversus se invicem deliquerunt,  
lo-

locus est compensationi, quando agitur civiliter. *L. 39. ff. Solutio Matrimon.* Paria enim delicta mutua pensatione dissolvuntur, *l. 47. d. t.* Idem quoque colligere licet ex *l. 7. π. rerum amotarum. L. 57. de contr. Empt. L. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Secus si criminaliter, ne delicta maneat impunita, *l. 51. π. ad L. Aquil. vid. Bökelman. ad Tit. D. & Compensat. Wissenb. Disp. XXXI. Tb. 5.*

### §. VIII

Hic, antequam progrediamur, examinanda adhuc Quæstio est, quid juris sit, si quis ab alio lethaliter vulneratus ab alio occisus sit, & an uterque gladio feriendus? Quod aff. Et ad stipulatur mihi *Julianus in l. 51. §. 1. ad L. Aquilianam.* Hanc ob rationem, quia parum distingvi potest, uter magis occidisse videatur: nec obstat *l. 11. §. 3. cod. vid. Ant. Matthei de Crim. lib. 48. dig. T. 5. c. 3. n. 19. Brunn. ad d. text. cæterique Interpret.*

### §. IX.

In numero Correeorum ex delicto sunt quoque hi, qui licet delictum ipsum non perpetrarunt, delinquentes tamen consilio & auxilio juvarunt. *§. 11. & 12. J. de Obligat. que ex del. nascuntur.* In quibus textt. dicit Imperator illum quoque furti teneri, cujus ope & consilio furtum factum, licet ipse rem non contrectaverit. *Add. Grotius l. 2. de J. B. & P. c. 17. §. 6. cum sequ. & c. 21. §. 1.* Magna jam hic & anceps est inter DD. quæstio, num verba d. §. 11. & 12. ope & consilio conjunctim an separatim  
B sine

sint accipienda? In cujus enodatione mirificè desudant Interpretes; Imprimis cum Jcti modò conjunctim, modò separatim hæc posita tradant. *Paulus in l. 53. §. ult. π. de V. S. & Ulpianus in l. 52. pr. & §. 19. de Furtis & l. 50. §. pen. eodem.* hæc sic distingvit. Consilium dare videtur, qui persuadet & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum. Opem fert qui ministerium atque adjutorium ad surripientas res præbet. Iterum ex aduerso conjunctim hæc verba esse accipienda facilè demonstrari posset, *ex l. 36. fin. pr. π. l. 50. §. 1. de Furt.* uti post *Wissenb. ad l. 53. ff. de V. S.* aliosque interpretes egregiè hæc deducit *Vinnius in Comment. Inst. ad dict. textus.* Ego verò malim esse contentus eâ expositione, quæ verbis textus & locis parallelis magis congruit; scilicet hæc, dicta verba ope & consilio modò conjunctim, modò separatim sumi posse & debere. Alter scrupulus qui hic movetur est is; An & quatenus Consilium obliget? Et in Contractibus neminem obligari ex Consilio tritum est; nisi sit fraudulentum, *l. 47. ff. de R. I. & in casu l. 6. §. 5. Dig. §. 6. J. & l. 32. Mandati l. 1. §. 14. π. depositi.* Secus se res habet in delictis. *Mynsing ad §. 6. & 7. Inst. Mandati n. 3. Godofredus ad L. 2. §. 6. ff. Mandati.* & si contractatio subsequuta fuerit, *l. 53. de V. S. l. 66. §. pen. l. 52. §. 19. ff. de Furt.*

§. X.

Huc quoque rectè refero mandantem cædis vel alterius delicti, *§. 11. J. l. 11. pr. & §. 5. l. 15. §. 8. l. 17. §. 7. ff. de Injur.* Quod enim quis per alium facit, per se fecisse putandus est. *L. 152. 169. ff. de R. I. & nostra actio*

actio habenda est, cujus executionem alteri injunximus.  
*L. 1. §. 1. de eò per quem fact. & in delictis tam mandans,*  
quàm Mandatarius tenetur. *L. 7. §. ult. ff. de Jurisd. l. 1.*  
*§. 13. de Vi & Vi armata. l. 15. §. 1. ad Leg. Corn. de Sicariis.*  
*& passim.* Adeò ut si quis vulnerari mandaverit, & ex-  
pressè prohibuerit ne interficeret, tamen tenetur. Vul-  
nerare mandans, tenetur omne id præstare quod vulnus  
consequitur. De Mandatario notatur si sit talis persona,  
cui parere necesse est, mitius in levioribus puniatur, *l. 169.*  
*ff. R. J. ibique Wissenbach. & l. 157. eod. l. 20. ff. de O. & A.*  
Obligatione propter mandatum Assasini non eximuntur,  
quoniam assasinium ad ulterius quoque mandatum com-  
mittitur. *Ludw. ad Instit. Exerc. 18. th. 5.*

### §. XI.

Haud inconvenienter tandem in censum Correo-  
rum debendi ex delicto retulero, Receptatores, qui la-  
trones aliosque delinquentes, dolò malo, occultandi animo  
recipiunt. *Tot. Tit. ff. de Receptor. l. 1. & 2. C. eod. De*  
*Scientibus, Participantibus, Consulentibus, juvantibus,*  
*ratum habentibus, reticentibus, idem judicium esto.* Hos  
enim omnes esse Correo debendi ex delictò, brevitatis  
temporis non patitur longius deducere. Denique omnes  
constituuntur duo rei, qui committunt delicta carnis, sive  
venerea, quæ non nisi à duobus committi possunt.

### §. XII.

Satis de Correo constitutione ex delicto. Jam quomodo

B 2

quo-

quoq; in quasi delictis plures rei constituentur est videndum. Hi itaque qui imprudentia & quasi delicto causam dederunt vero delicto, etiam tenentur ut Correi, sed mitius & tantum ad damni reparationem, *Tot. Tit. J. Dig. & C. de Noxalibus action.* Cujus tituli hæc vis est, ut ex maleficiis i. e. privatis servorum delictis, veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut injuriã commiserint, *juxta text. J. pr. eod.* actio competat illis, quibus ex servorum delicto nocitum est, contra dominum, & si plures sint domini, contra singulos in solidum, *l. 5. l. 8. b. t.* & ideo quasi ex maleficio videtur & dominus fieri reus, quia culpæ aliquatenus reus est, quod opera malorum hominum uteretur, *l. 5. §. ult. ff. de O. & A. §. 1. & ult. J. de Oblig. que quasi ex delict. nasc.* Tum etiam, quia ex quâ personâ qui lucrum habet, ejus factum præstare debeat, *l. 149. ff. de R. J.* Ad hoc delictum refertur ab Imper. *§. 1. de Obl. ex quasi del.* & is è cujus coenaculo quid dejectum effusumque est, & facillè ex inspectione *Tit. D. de dejectis & effusis* patet, non domini, non locatoris, non dejicientis, sed habitorum quasi delictum esse, videtur enim ipsis imputari posse quod hominibus adeò protervis & sordibus usi sint, *l. pen. ff. de his, qui dejecer. vel effud.*

### §. XIII.

Hac occasione quid dicendum, quando queritur, an & quatenus Paterfamilias de delictis suorum domesticorum teneatur? Et respondetur regulariter eum non teneri, si modo diligenter sibi prospexerit in conducendis famulis & ancillis, *l. 11. ff. de Periculo & commod. rei vend. l. 27. §. Si for*

*fornicarius, 9. ff. ad L. Aquil. Nemo enim Patrumfamili-  
as fovere debet temerarios & oscitantes ministros. Fallit  
tamen dicta regula 1. in Edicto de Receptis, l. ult. pr. ff.  
nauta. caup. stabul. 2. Si damnum dederunt servi quod  
Rempubicam lædit, t. t. ff. de his qui dejecerunt l. effect.  
Et 3. nisi delictum sit perpetratum à famulo, qui certæ rei  
præpositus est, l. 12 §. 1. ff. de Publicanis & Vectigal. Extra  
hujusmodi casus culpa Patremfamilias non onerat si de suâ  
diligentiâ docere potest. Vinn. in S. Quæst. lib. 1. c. 33.  
p. m. 83.*

#### §. XIV.

Ex his jam prælibatis liquet, illos, qui nec ipsi cum aliis  
deliquerunt, nec culpâ vel imprudentiâ causam delicto  
præbuerunt, nec deliquerunt consilio, nec consilio & au-  
xilio adjuvarunt, nullô modô ex delictis aliorum teneri,  
licet vel hæredes sint vel personæ conjunctæ. Sic Paulus  
l. 20. ff. de Pœnis auctor est. Si pœna alicui irrogatur, rece-  
ptum est commentitio jure, ne ad hæredes transeat: cujus rei  
illa videtur ratio esse, quod pœna constituitur in emendatio-  
nem hominum: qua mortuo eô in quem constitui videtur, de-  
finit. Jung. l. 20 ff. & l. 22. C. eodem. & Brunnem. ad L. 26.  
rectè dicit, unumquemque ex suô admisso sorti esse subji-  
ciendum, nec alterius criminis successorem constitui.  
Pœna præterea non esse afficiendum, qui nihil commisit  
apparet ex l. 2. §. pen. & leg. 6. pr. π. de Decur. Ezech. c. 18.  
Deuteron 20. v. 16. & multis sacra pagina & nostris Civ. locis.  
Tot. Tit. Cod. Ne filius pro Patre. Tit. Ne uxor pro marito,  
vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.

Toto denique Tit. ut nullus ex vecaniis pro alienis vicaneorum debitis conveniatur. Juxta tritam regulam, poena non esse afficiendam qui nihil commisit; hæc autem præsupponit culpam & ei debet respondere.

§. XV.

Dicta tamen modò, aliquatenus adhuc limitanda sunt. Nam filium neque ex contractu, *l. 4. C. Ne filius pro patre* neque delicto, *l. 26. ff. de Pœnis teneri*, patitur exceptionem quoad contractus in causa primipilari, *l. ult. C. de Primipil. l. 4. C. in quibus causis pignus tacitè contrah.* Quoad delicta verò in crimine peculatus, *l. fin. ff. Peculatus*, vel si quid ex delicto ad hæredes pervenerit, *l. 38. ff. de R. J. l. 26. de Dolo.* Et in crimine læsæ Majestatis, ubi non tantùm conscii ut Correi tenentur, sed & poena ad liberos extenditur, *l. 5. C. ad L. Jul. Majestat.* Uno quoque in casu nominatim cautum legitur maritum pro uxore teneri, nempe si, qui provincias regunt cum uxoribus in provinciam profecti fuerint, *l. 4. §. 2. ff. de Officio Procons. & Legati.* Et in culpa videtur esse maritus, qui perniciosam provincialibus secum duxit uxorem, ut pro eâ culpa non secus teneatur ac caupo, nauta, & stabularius, qui utitur operâ malorum hominum. Brunn. *ad d. l. 4.*

§. XVI.

Ex tradita superius regula, neminem ex alterius delicto conveniri posse, quidam quoque DD. deducere volunt usum Repressaliarum non convenire cum æquitate & licitè exerceri posse, moti iis rationibus, quas in §. 14. adduxi, & præ-

præterea lege 4. C. de Executor. l. 39. §. 1. D. ad L. Aquiliam.  
Wissenb. Diss. singulari de Repressaliis. l. un. C. ut nullus è vi-  
caneis, &c. ubi Zeno Imperator ait, grave non solum legi-  
bus, sed & æquitati naturali contrarium esse, pro alienis de-  
bitis, alios molestare, ubi inspiciatur Perez. His tamen  
nihil obstantibus salva aliorum autoritate, ab illorum jam  
stare partibus placet, qui repressalias justas esse defendunt,  
earumque justitiam niti non tantum jure humano sed & di-  
vino asserunt. Grot. Lib. 1. de J. B. & P. Cap. 2. §. 5. videatur  
Cass. Zieglerus in Tractatu de juribus Majest. lib. 1. c. 34. n. 32.

§. XVII.

Tandem quædam adhuc restarent de pœna Correo-  
rum plurium dicenda; sed quoniam hujus jam per totam  
fermè dissertationem mentio facta, eadem quoque sit,  
quæ alias unius rei ex delicto est, eâ operâ supersedeo. Si  
enim plures deliquerunt, omnes tenentur. vid. §. 6. Cœ-  
terum illud dubium est, quomodo Civitas, Universitas,  
Collegium, si deliquerint, puniantur? Rapiendi ad sup-  
plicium antesignani, duces; Multitudo namque sine aucto-  
ribus rarò delinquit. Ut tali modo pœna ad paucos, metus  
ad omnes perveniat. Plato lib. 12. de LL. Vid. Judic. cap. 8.  
v. 14. Wissenb. ad Tit. π. Quod cujusque Universitat. qui la-  
xius hæc tradit, aliosque Interpret. ad d. c. imprimis vid.  
Anton. Matthæi in Tractatu de Criminibus lib. XLVIII Dig.  
Tit. 18. cap. 4. Quorum scrinia compilare nec vacat, nec ani-  
mus fert. Hæc quoque hac vice dicta sufficiant; & si quæ-  
dam minus accuratè posita sint, Tua B. L. Benevolentia facilè  
emendabit. Non enim licuit per temporis conditionem &  
brevitatem absolutam hujus materiæ tradere  
explicationem.

T A N T U M!



Handwritten numbers and characters, possibly '99' and 'A 6958', faintly visible in the upper part of the page.

Handwritten numbers '99' and 'A 6958' in the middle section of the page.

99 A 6958

ULB Halle 3  
002 928 515  


Handwritten mark 'VDA' at the bottom center.

Handwritten word 'Rehov' at the bottom right.







Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,

DE  
**CORREIS DE-  
LICTORUM,**

*Quam*  
PRÆSIDE  
**DEO T. O. MAXIMO,**  
CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM  
ORDINIS IN ACADEMIA PATRIA,

*Pro consequendis summis in utroque Jure*  
**HONORIBUS,**  
Placidæ Eruditorum disquisitioni

*publicè subjicit*  
**JOHANNES FRIDERICUS von Sanden/**  
Regiom. Borussus.

IN AUDITORIO MAJORI

*Horis ante- & pomeridianis, ad diem 3. Julii,*  
*Ann. M. DC. XCVI.*

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

